





16

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA  
DE  
**VERMIBVS DYSENTERIAM  
ET HAEMORRHOIDES  
MENTIENTIBVS**

QVAM  
AVSPICE DEO PROPITIO ATQVE ILLVSTRIS ORDINIS  
MEDICI AVCTORATÆ ET CONSENSV  
MODERATORE  
PIRO ILLUSTRI EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO  
**DN. JOANNE JVNCERO**  
MEDICINAE DOCTORE EIVSDEMQUE PROFESSORE  
PVBL. ORD. ORPHANOTROPH. HALENSIS ET PAEDA-  
GOGII REGII PRACTICO DEXTRERIMO  
PATRONO AC PRAECEPTORE SVO AETATEM  
DEVENERANDO

PRO GRADV DOCTORIS  
SUMMIQUE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS  
RITE CAPESSENDIS  
AD D. SEPT. A. S. R. MDCCXLVII  
H. L. Q. C.  
PUBLICO ATQVE AEQVO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT  
AVCTOR  
**IOANNES CHRISTOPHORVS VVEINSCHENK**  
MAGDEBURGICVS.

---

HALAE MAGDEBURGICAE,  
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGER ACAD. TYPOGR.

VERMAM DYSKUTERIAM  
ET LUDICRIONDIS  
IN MUNIBUS

DN. IOANNI TANGERO  
MELCHIORIS DOCTORIS MEDICOLOGIAE PROFESSORIS  
MELCHIORIS DOCTORIS MEDICOLOGIAE PROFESSORIS  
MELCHIORIS DOCTORIS MEDICOLOGIAE PROFESSORIS  
MELCHIORIS DOCTORIS MEDICOLOGIAE PROFESSORIS  
MELCHIORIS DOCTORIS MEDICOLOGIAE PROFESSORIS

CHRISTIANIUS HINCIPINX

1510. TIT. 1. 1510. TIT. 1.



## PROOEMIVM.

**Q**ui bene distinguit, bene disputat, bene docet & profecto bene etiam medicatur. Si vñquam alibi, certe in medicina opus est distinctione & discreto iudicio, vel minima symptomata colligendi, perpendendi & ex illorum conciliatione cum signis pathognomicis, aetiologyam morborum formandi methodumque medendi instituendi. Minima circumstantia hic saepe variat rem, qua neglecta aut minus ponderata, facile fit, vt glaucomate obcoecati, vmbram pro Iunone arripiamus. Ea enim intercedit inter morbos nonnullos conuenientia, inter se adeo cohaerent & implicantur, vt non cuius datum sit, ex innumeris hisce tricis sese expedire, veramque nancisci morborum diagnosin. Evidem lectu ingratum foret, longum horum in diagnosi errorum catalogum recensere: silentio tamen praeterire

terire non possum, cuius sollicitiori practico notissimum esse, quod eiusmodi confusiones saepius continent. Quem enim fugit, paroxysmos hypochondriacorum deliriosos aliquando pro phrenitide, dysuriam haemorrhoidalem pro calculo & quamlibet fere cardialgicam afflictionem pro ventriculi debilitatione reputari? Interim tales errores diagnostici in medicina, vbi non de spinosis friuolisque agitur curiositatibus, sed de corio humano luditur, non raro in notabile aegrotantium detrimentum cedere obseruantur. Haec fuit ratio, quae de *vermibus, dysenteriam & haemorrhoides mentientibus*, agere me comouit. Quantam enim similitudinem & analogiam vtriusque morbi symptomata cum verminosis habeant, ipsimet mihi aliquoties obseruare contigit: quare superuacaneum esse reor, dissertationis meae thema inscriptionemque excusare, praesertim cum *simulationis & mendacii* titulus ciuitate medica iam dudum donatus sit. Conf. STAHLII *dissert. de haemorrhoid. calculum mentientibus.* Faxit Deus, vt hic qualiscunque labor valeat ad sui gloriam & aegrotantium salutem.

## §. I.

**I**nter eas res, quae a pathologis *toto genere præternaturales* adpellantur, non leuem attentio- nem sive considerationem merentur *vermes*. Quare abs re haud alienum fore puto, generatim de iisdem pauca differere, priusquam ad specialiorem thematis mei pertractionem accedam.

## §. II.

*de vermbus dysenter. & haemorrh. mentientibus.* 5

§. II.

Per vermes autem hic intelligo ea animalcula, quae in tractu intestinorum, potissimum vitioso, ex ingestis sui generis ouulis producta, apud hominem reperiuntur.

§. III.

Magna olim inter philosophos de animalium generatione intercessit disceptatio. *Duplex* autem potissimum generationis *modus* in scholis illorum claruit & obrinuit. Alii enim *aequiuoce*, alii *vniuoce* eandem fieri tradidere.

*De animalium generatione varias auctorum sententias cui euoluere tubet, adeat WALCHII lextc. philosopb. p. 230. seq. vbi varia scripta bac de re ventilata adlegendur.*

§. IV.

Per generationem *aequiuocam* animalia ex quacunque materia corrupta per putrefactionem posse oriri credebantur. *Vniuoca* autem viuentium ortum semini suaee ipsius speciei tribuebat. Conf. D. C. VATERI *Physiolog.* pag. 297. quæst. 1. SCHEVCHZER. *Physic.* part. 2. p. 383. seq. I. I. LANG. *Element. Philosoph. nat.* p. 275. §. CVII.

§. V.

Haec autem inter *aequiuocam* & *vniuocam* animalium generationem distinctio, vti neque rationi neque experimentis accurioribus, hanc in rem institutis, consentanea est, sic merito ab eruditis e foro philosophico est exauktorata. Conf. VATERI *Physiol. loc. cit.* SCHEVCHZER. l. c. LANG. lib. cit. §. CVIII. C. HOFFMANN. l. I. *de generat. homin. c. 1.*

*lit. d. FRID. HOFFMANN. clav. ad SCHROEDER.  
l. s. c. IV.*

§. VI.

Reiecto igitur omni ortu aequiuoco, per se patet, idem statuendum esse de origine animalium, corpus humanum infestantium, quae apud pathologos vermium nomine insigniuntur.

§. VII.

Ridicula sunt, quae de illorum ortu perhibet antiquitas, neque enim rationis neque experientiae ferunt suffragium. Sic, verbi gratia, nec influxio mercurialis PARACELSI, nec excrementum vitale & cibi semidigesti HELMONTII, nec materiae putrefactae principia actiue inter se coëuntia WILLISII, nec denique defectus fermentationis carnium fructuumque ingestorum SYLVII vermium generationem & originem explicant, sed potius maioribus eandem impediunt tricis, quoquinque demum fuso vtantur horum sequaces, ut opinionibus suis quandam veritatis speciem praetexant coloremque ementiantur. Conf. DOLAEI. *Encyclopaed. med. l. IV. c. X. §. VII.*

§. VIII.

Magis fuere felices in explicanda vermium, in primis viis stabulantium, causa atque origine nostri saeculi physico-medici, quippe ex ingestis suae ipsius speciei ouulis atque seminibus, in corpus humanum maxime simul cum cibis delatis, per calorem excludi & hac ratione generari atque produci in primis viis adseuerantes\*. Patentissimum hic mihi

*de vermbus dysenter. & haemorrh. mentientibus.* 7

mihi apertum video dicendi campum, in quem laxis veluti habenis excurrerem, nisi instituti ratio curre-re gestientem retardaret. Notamus itaque de argu-mento, sat multis implicato tricis, tantum sequentia.

\* *De vermium generatione conferri merentur: Nic-  
ANDRY de la Generation des Vers dans le corps de l'hom-  
me. it. Anonym. Eclaircissement sur le livre de la Genera-  
tion des Vers dans le Corps de l'homme. it. ANTON. VAL-  
LISNERI Prof. Paduan. Consideration. intern. alla ge-  
nerazione de vermi.*

§. IX.

Primum quidem non omnia promiscue ani-malculorum & insectorum semina, in corpus huma-num delata, excludi ibidem possunt & solent, sed certis tantum animalium ouulis, calor, humores & reliquae ventriculi & intestinorum conditiones con-veniunt & adaequant, vt ibidem excludi exclusaque enutrir possint.

§. X.

Deinde non sufficit sola horum ouolorum inge-stio in corpus humanum ad vermium generatio-nem. Quodsi enim ea seminia, quae in ventriculo & intestinis excludi possunt, reuera etiam omnia ibi-dem excluderentur, miserum hominum genus, tan-tum non omne, vermbus scateret & ventriculus vermium potius officinae, quam concoctionis ma-chinae foret similis, quoniam nemo fere cibos po-tumque adsumit, quin facillime seminis huius co-piam simul cum illis in corpus ingerat. Verum experientia docet, inter homines, licet vna eadem-que

que ciborum victusque ratione vtentes, quaedam & certa tantum subiecta pree reliquis a vermis in festari.

§. XI.

Peculiaris itaque primarum viarum dispositio supponenda est, ut ouula animalium, quae in iisdem excludi possunt, reuera etiam ibidem excludantur.

§. XII.

Hinc consulto & meditate adseverauit §. II., quod praesente vitioso primarum viarum statu, vermes generarentur; hunc enim illorum generationi mirifice fauere, & ratio dictitat, & experientia confirmat.

§. XIII.

Per vitiosum primarum viarum statum hoc loco potissimum innuimus laxitatem earundem nimiam.

§. XIV.

Laxitas primarum viarum est defectus toni vel debitae tensionis fibrarum muscularium.

§. XV.

Quando ventriculus & intestina iustum non habent tensionem, ex physiologicis notum est, eorum peristalsin motumque vermicularem non rite succedere.

§. XVI.

Motum peristalticum & amplexorium ventriculi intestinorumque vermicularem primariam comminutionis, concoctionis & promotionis ingestorum esse caussam, principia physiologica docent.

§. XVII.

§. XVII.

Hoc igitur labefactato ex relaxatione fibra-  
rum muscularium §. XIV, labefactatur simul prima-  
rium primarum viarum officium, ingesta nempe  
amplexandi, agitandi, comminuendi illisque pro-  
motionis motum imprimenti. §. XV. XVI.

§. XVIII.

Quando iam semina vermium atque ouula cum  
cibis remixta & deglutita §. VIII, vel quocunque alio  
modo in corpus translata sunt, deficiente debita am-  
plexus fibrarum muscularium actione, superant qua-  
si renisum ventriculi atque hinc nec destrui nec com-  
minui nec promoueri per intestina possunt per  
§. praeced.

§. XIX.

Hinc igitur quieta, vbiunque in plicis inte-  
stinalibus obhaerentia, accedente calore naturali tan-  
dem exclusa, varios fistunt nobis vermium foetus,  
qui nutrimento chyloso, in primis viis obvio, enu-  
triuntur. Conf. BOERHAV. institut: med: p. 354.  
§. 792.

§. XX.

Cibi in ventriculum ingesti, non rite concocti,  
digesti & sequestrati in primis viis §. XVII. XVIII.  
relinquunt varias ibidem sordes, terrestres, foecu-  
lentas, tenaces, acididas; immo putrescentes nonnum-  
quam fermentationes.

§. XXI.

Haec inter se coalescentia cum pituita intestina-  
li & gastrica, temporis mora obfirmata cohaeren-  
tiaque,

B

tiaque,

tiaque, constituunt subinde domicilia & munimenta vermium, quae nidorum nomine veniunt, in quibus foti, adversa evitantes, expulsione resistant pertinacissime. Conf. BOERHAV *aphorism.* p. 324. §. 1361.

## §. XXII.

Quemadmodum autem vermium in corpore prouentus, praesente hoc vitioso primarum viarum statu, §. XIII, rationi optime respondet, sic ea, quae iam de eodem dicta sunt, experientiae suffragio magis euicta & confirmata redduntur, si subiecta, quibus vermes familiares esse solent, eorundemque conditionem attendamus pauloque intimius examinemus.

## §. XXIII.

Etenim homines habitus corporis relaxati & caeptici, in quibus legitimus fibrarum tonus deficit, §. XIV, maxime a vermis infestantur §. 18. 19.

## §. XXIV.

Porro infantes & iuniores, quippe fibris gaudentes molioribus minusque tensis, atque hinc, ut ad via primarum viarum proni dispositique, sic vermium generationi mirum in modum sunt obnoxii. Etenim nec recens nati, nec tenelli admodum, qui cibis solidis nondum enatriuntur excepti sunt. Conf. D. LINDERN *passe par tout. part. 2. p. 543.* quid? quod foetus in utero ab iisdem liber haud est & immunis. Conf. DOLAEI *Encyclopaed. med. l. sv. Cap. x. §. 1.* Licet enim HOFFMANNVS, item BOERHAVIUS *aphorism. 1359.* primum vermium ortum atque terminum

*de vermis dysenter. & haemorrh. mentientibus. II*

num post ablactationem infantum vsumque ciborum crudorum fructuumque horreaticorum ponere videantur, attamen id de crebriori numerosiorique eorum proventu, hoc tempore contingente, potissimum valere arbitramur.

§. XXV.

Quoniam itaque vermes ex suis seminibus atque oculis natales habent §. VIII. XIX. prout haec inter se differunt, varia etiam & inter se distincta ex iisdem progrediuntur illorum genera.

§. XXVI.

Vermes in corpore humano obseruati, differunt ratione loci, quem inhabitant, alii enim ventriculo & intestinis, alii aliis corporis partibus magis obseruantur familiares Conf. Cel. IVNCKER: *Consp. Pathol. Tab. xiii. n. 5.* sic verbi gratia in pericardio SYLVIVS l. 1. *Prax:* Cap. 35. §. 10. in renibus id. l. 1. cap. 55. §. 54. in sinu maxillari SCHARSCHMIDIUS in anal. med. in aure & naribus ZACVT. LVSITAN. & SPINDLERVS vermes inuenitos referunt.

§. XXVII.

Differunt etiam ratione formae, figurae, magnitudinis, quas insolitas interdum fuisse referunt histrioiae & observationes medicae. Conf. Cel. IVNCKER: *Consp. med. pract. p. 853. diff. n. 2.*

§. XXVIII.

Nos autem in consideratione vermium, primis viis corporis humani familiarium, iam occupati, reliquas vermium differentias suo loco relinquentes, notamus tantum praecipua & frequentissima illorum

genera, quae a plurimis ad tres classes satis commode referuntur; licet alii quatuor, alii quinque, alii plura, alii pauciora enumerent. Conf. Cel. IVNCKER.  
Confsp. Theor. pract. Tab. CIX. diff. n. 1. seq.

## §. XXIX.

*Primam classem* constituant ελμυθες προγρυλαι animalcula longiora teretia, vnde κατεξοχην teretes audiunt, ob similitudinem autem quam cum lumbri-  
cis terrestribus habent lumbricorum nomine ab aliis insigniuntur.

## §. XXX.

Degunt ordinarie in intestinis tenuibus. Conf. CASTELLION. lex. med. p. 385. Interdum in ventri-  
culum adscendentes, modo albantes, modo rubi-  
cundi, modo separatim viventes, modo in globum  
cogulati deprehenduntur. Conf. Cel: IVNCKER:  
Confsp. med. pract. Tab. de verm. p. 854.

## §. XXXI.

*Secundam* efficiunt classem vermes latiores, se-  
minis cucurbitae formam aemulantes, cui qui-  
dem cucurbitinorum nomen acceptum referunt.  
De his conf. SPIGELIVS de lumbric. lato. & DAN.  
CLERICI hist. nat. & med. lator. lumbric.

## §. XXXII.

Stabulantur maxime in intestinis crassis, nomi-  
natim in colo. Conf. DOLAEI Encyclop. med. l. sv.  
Cap. X. §. II. p. 456. vbi catenae instar non raro co-  
haerentes in longitudinem decem &, si PLINIO l. II.  
hist. nat. c. 33. fides habenda, triginta pedum ex-  
perrecti deprehenduntur, ita, vt omnem intestino-  
rum

*de vermis dysenter. & haemorrh. mentientibus.* 13

rum tractum expletos arcteque cohaerentes, expul-  
sioni resistant pertinacissime. Conf. Cel. IVNCKER.  
*Consp. med. pract. Tab. de Verm. pag. 855. prognos. n. x.*

§. XXXIII.

*Teriam denique classem expletos teretes tenues  
breuiores a GALENO & etiam nunc ascaridum no-  
mine notati. Vermiculorum in caseo obuiorum figu-  
ram & magnitudinem quadantenus referunt, licet  
motus ille vibrans & quasi saltatorius, his familiaris,  
in illis haud aequae obseruetur. Conf. Cel. IVNCK.  
*consp. med. pract. Tab. de Verm: p. 853. diff. n. 3.**

§. XXXIV.

In extrema intestinorum cavitate potissimum  
inhaerescere obseruantur, vbi vario & molesto sen-  
su adfligunt intestinum rectum & continuo & sensi-  
bili pruritu ad spasmodicos nifus & tenesmos sphin-  
cterem stimulant.

§. XXXV.

Hanc vermium, de quibus iam pauca praefati-  
sumus, colluviem varia & periculosa in corpore  
humano excitare symptomata, immo tragicos & non  
raro funestos ludere ludos, certum est quam quod  
certissimum.

§. XXXVI.

Nimium quidem vermis tribuit AVGVSTVS  
HAVPTMANNVS, vnde eiusdem putredo anima-  
ta, seu pathologia noua, tota quanta est, vermi-  
nosa, eruditorum calculum hucusque non impe-  
travit. Vti enim Leewenhoekius ortum hominis  
ex vermiculis seminalibus deducere conatus est,

B 3

sic

sic ille eius interitum morbosque tantum non omnes, conatu abunde ingenioso, minus autem iudiciose, pariter certis vermis attribuit, quorum in explicanda utriusque causa innumeram spirat multitudinem, nouisque toties, quoties res exigit, in scenam dicit; interim tamen certum & experientia teste comprobatum habemus, vermes saepius clandestinas existere morborum causas, quam quidem vulgo attendatur.

*De Avg. HAUPTMANN Chymico-med. Dresdae nat. Conf.  
LANG. hist. med. p. 14. G. STOLLENS med. Gefahrtheit p. 533.  
seq.*

### §. XXXVII.

Cuius adserti fidem ac veritatem vindicaturi, de *vermis*, *dysenteriam* & *haemorrhoides* *mentientibus*, agere nobiscum constituiimus. Tantam enim symptomata, a vermis producta, habent interdum similitudinem cum symptomatis in *dysenteria* & *haemorrhoidibus* alias consuetis, adeo conueniunt inter se ac permiscentur, vt difficile sit, ex his tritis sese expedire veramque nancisci morborum diagnosin; unde facile fieri potest, vt in his casibus vermes ad notabile aegrorum damnum non attendantur.

### §. XXXVIII.

Facturus itaque operae pretium arbitror, si in vermes, *dysenteriam* & *haemorrhoides* *mentientes*, paullo curatius inquiram modumque ostendam, quo illi symptomatis *dysentericis* aut *haemorrhoidalibus* personati, cognosciatque ab his distingui queant,

vt detecta hac ratione vera morbi caussa atque origine, fons mali praescindi possit atque praeccludi.

§. XXXIX.

Nominamus primo loco, vermes dysenteriam mentientes, atque de his notabile in praxi obuim habui exemplum, vt miratus fuerim, quam speciose possent eandem simulare: Virgo decennis, habitus corporis laxioris, adcusabat defluxionem alui crebriorem eandemque cruentam, cum spasmis torminibusque abdominalibus, iunctam cum siti & appetitus prostratione. Parentes statum morbi referentes, eundemque pro dysenteria reputantes, quippe quae eo tempore quasi epidemice perplures adfecerat, medicamenta contra eandem exposcebat, quibus impetratis adhibitisque, nullam sequi morbi remissionem, quid? quod exacerbationem dolorum querebantur. Rogatus postea ab his, accessi hanc virginem ex aminatoque morbi decursu, inde ac symptomatibus, suasi quidem medicamentorum, antea iam propinatorium, usum continuandum, erant enim innoxia atque ex demulcentibus & tonicis temperatis composita, quibus tantum lene euacuans deinde interposui, in finu autem mirabar & vltro citroque meditabar, quid caussae subesset huius insolentis nullisque medicamentis auscultantis mali, dysenteriae enim consuetum tempus erat elapsum prætereaque notabilem malignitatem, quippe in grauiori dysenteria satis manifestam, hic minus poteram deprehendere. Postridie aegram iterum visitanti referunt parentes, se hodie excretionem aluinam in-

spi-

spicientes animaduertisse vermiculum rubentem, quem mihi offerebant, & profecto erat lumbricus mediae magnitudinis totus floridiori sanguine, instar hirudinis, repletus. Haec obseruatio statim me in suspicionem adduxit, plures praefecto esse huius furfuris hospites, fierique posse, ut omnis morbi adparatus ab illis instruatur. Huic speculationi, varia verium signa & praesertim status valetudinis ante hunc morbum ipsumque morbi initium, quae omnia parentes, quaestioneibus moniti magis magisque in memoriam reuocabant, verisimilitudinem ac fidem faciebant. His igitur aliisque indicantibus permotus, methodum medendi magis magisque vermbus accommodauit, febre concurrente minus tamen post habita, nec poenitendo cum effectu factum ita esse euentus comprobauit. Neque enim ita multo post, magna lumbricorum copia excrenebatur, quorum plurimi recenti sanguine erant repleti. His peractis atroces crebriores symptomatuum nominatorum palindromes extemplo remittebant, & aegra sub debita medicamentorum continua-  
tione, integrae restituebatur valetudini.

## §. XL.

Casus enarratus, quemadmodum satis, ut opinor, testatur, quam adposite dysenteriae symptoma-  
ta aemulari vermes possint ita ulteriori demonstra-  
tione plurimumque exemplorum, quae in promtu  
sunt, inductione opus non erit. Videamus potius,  
quomodo hoc fiat & quo demum pacto a vermbus  
eiusmodi symptoma, quorum nonnulla §. praeced.  
adducuntur, possint produci.

## §. XLI.

§. XLI.

Dictum est §. XIX., quod vermes nutrimentum ex succo chyloso, in primis viis obvio, caperent; quando igitur hic non sufficit, vel ad palatum illorum non est, accidit non raro, ut lumbrici praesertim ipsas partes solidas adgrediantur & intestinorum parietes vellicando, rodendo, fugendo dolorifice admodum adficiant, vti passim observationes practicae & anatomicae testantur. Conf. DOLAEI. *Encyclop. med. l. xv. c. x. §. 12.* Non immorabimur, quo pacto eiusmodi adrosiones a lumbricis perficiantur, cum B. SCHVLTZIVS in *Diss. de lumbric. effractor.* abunde id ipsum demonstrauerit. vid. *Diss. cit. p. 14. §. XI. seq.* pariter aliorum disquisitioni atque vltiori experientiae cum laudato Viro relinquimus, possintne alii etiam primarum viarum vermes, v.g. cucurbitini aut ascarides, simili modo corpus nostrum infestare.

§. XLII.

Quando igitur famelici lumbrici, suctiioni sanguinis intenti, tunicas intestinorum vellicant adroduntque, laesa hac ratione fibrarum continuitate solutaque, pro sensibilitate partium laesarum, dolores inde oriuntur plus minusque acuti, quibus subinde ad dolorificam antipraxiam variosque motus spasticos intestina exstimulantur, vnde non possunt non oriri adfectus colici abdominalisque tormenta.

§. XLIII.

Corporis laesiones doloresque, praecipue in partibus magis sensibilibus perpesios, facile sequi humorum adfluxus congestionesque ad loca adfecta experien-

C

perien-

perientia notum est, sic quoque dolorificas §. praec.  
a vermis in intestinis perpetratas laesiones §. XLI.  
excipere solent.

## §. XLIV.

Non minus impuritates primarum viarum, cum  
statu verminoso complicatae §. XX. humorum ver-  
sus haec loca directionem & adfluxum nonnumquam  
inuitare notum est quam quod notissimum,

## §. XLV.

Si iam humores ad intestina, antea iam relaxata,  
§. XII. XIII. congeruntur §. XLIII. et copiosum fre-  
quentemque per vias ordinarias exitum inueniunt,  
oritur diarrhoea, atque haec impuritatibus prima-  
rum viarum magis sustentatur foueturque §. XLIV.

## §. XLVI.

Si adrosiones vermium incidunt in partes san-  
guinolentas vasculaque intestinorum sanguifera, so-  
luta horum continuitate sanguis in cavum intestino-  
rum effluens, humoribus impuritatibusque ibidem  
remixtus, cum iisdem copiosius frequentiusque per  
intestina excretus, constituit diarrhoeam, pro quan-  
titate sanguinis plus vel minus cruentam.

## §. XLVII.

Quando partes corporis sensibiles grauius lae-  
duntur, ita, ut sub adfluxu humorum & constrictio-  
ne neruorum oriantur stagnationes atque stases, ac-  
cedere solent motus humorum vniuersales atque fe-  
biles iudeique acutam periodum seruant. Conf. Cel.  
IVNCKER. Confsp. med. pract. Tab. LXI. sic quoque  
grauioribus intestinorum laesioribus a vermis in-  
ductis,

*de vermibus dysenter. & haemorrh. mentientibus.* 19

ductis, quando humores versus haec loca congesti  
§. XLIII. in statim abeunt, superueniunt non raro fe-  
bres acutae eoque facilius, quo subiecta sunt sensibiliora.

§. XLVIII.

Febres acutae, propter statim humorum ortae, sunt  
febres inflammatoriae, adeoque grauiores a vermi-  
bus in intestinis perpetratis laesiones, sequuntur in-  
terdum febres inflammatoriae. §. praeced.

§. XLIX.

In statu verminoso praefto sunt impuritates prima-  
rum viarum haud raro viscidae tenacesque §. XX. at-  
que illarum fere eadem est ratio.

§. L.

Si vitia impuritatesque primarum viarum per  
adfluxum particularem, in diarrhoeam desinentem,  
§. XLIV. XLV. subigi non possunt, accedunt non-  
numquam motus vniuersales febiles, atque hi qui-  
dem schema intermittentium ludunt, adeoque cum  
statu, §. praec. descripto, complicantur interdum fe-  
bres intermittentes.

§. LI.

Si igitur occurrit status, vbi aegri querantur  
de doloribus abdominalibus colicisque, si diarrhoea  
eaque cruenta praefto sit, si febiles conspirent com-  
motiones, si inquam, haec symptomata, vti casu me-  
morato §. XXXIX. accidit, inuicem iungantur com-  
plicataque deprehendantur, quis non in tali rerum  
statu de dysenteria cogitet, praesertim quando eius-  
modi casus incident circa illud anni tempus, quo  
ordinarie dysenteriam stragem suam absoluere noui-

C 2

mus;

mus; nihilo tamen secius haec omnia symptomata, in dysenteria alias consueta solemniaque v.g. tormina spasmosque abdominales. §. XLII. diarrhoeas §. XLV. easque cruentas. §. XLVI. febres. §. XLVII. XLVIII-L. a statu verminoso pariter instrui posse & proficiisci monstrauimus.

## §. LII.

Quae cum ita sint, nostrum erit ostendere atque commemorare, qua ratione quibusque signis talis status dubius & quasi aequiuocus cognosci symptomataque praesentia ad veras suas caussas possint referri.

## §. LIII.

Non facile errabit, me quidem iudice, qui signa, vermes & dysenteriam indicantia, maxima *augmenta* collecta ab auctoribus medicinae classicis traditaque, diligenter inquirere, sobrie pensitare discretoque iudicio comparare inuicem haud grauabitur. Instar omnium nominamus *Excellentiss. IVNCKERVM*, qui in *Consp. med. pract. Tab. de vermis p. 835. & de dysenteria p. 632. seq.* ea adduxit exposuitque morborum, de quibus loquimur, signa, quae comparata inter se, errare, vt opinor, permittunt neminem, vnde eorum repetita enumeratione lubentes iam supersedemus & B. Lector. ad loca cit. remittimus.

## §. LIV.

Consideratio deinde subiectorum dysenteriae vermiumque casibus dubiis multum lucis adfundit: sic subiectis phlegmaticis cachecticisque vermes sunt familiares §. XXIII., subiecta autem, habitus sanguinei, cholericci, plethorici, ad dysenteriam magis prona

*de vermicibus dysenter. & haemorrh. mentientibus.* 21

prona obseruantur dispositaque. Conf. Cel. IVNCKER,  
*Conspic. med. pract. Tab. cit.*

§. LV.

Postea in dysenteria, quoniam specifico & non raro valde maligno fermento intestina corroduntur & quasi excoriantur, defluxio alii crebrior, magis cruenta, spumosa aut ulcerosa obseruatur, quam in diarrhoeis a vermis inductis, vbi vulgares tantum impuritates cum sanguine sincero plerumque excernuntur §. XLVI.

§. LVI.

Tum vrinae inspectio in hoc passu non plane erit frustranea, quippe quae in dysenteria tenuis, imminuta aut maligna existere solet, in statu verminofo autem male digesta, turbida instar feri lactis ebutyri non raro deprehenditur.

§. LVII.

Febrium etiam conditiones, quae in utroque statu concurrunt, cynosurae instar ac normae sunt: dysenteriam enim magis ardens, maligna aut irregularis comitatur. Conf. Cel. IVNCKER *consp. med. pract. Tab. de dysent.* statum verminosum autem potius intermittens. §. L. arrosaque intestina inflammatoria excipere solet §. XLVII. XVIII.

§. LVIII.

Vera denique dysenteria statu anni tempore euenit atque contingit, ita quidem, ut exeunte aestate, mense imprimis Augusto, rarius medio Iulio, per plures inuadat adficiatque. Vermes autem, vti quis anni tempore in corpore existere intestina-

C3

que

que adrodere possunt, sic etiam dysenteria, a vermisbus efficta, ad certam statamque anni periodum, haud restringitur.

### §. LIX.

Quae itaque signorum loco iam exhibuimus, ea collata comparataque inuicem sufficere arbitramur, ad veram morbi, de quo loquimur, caussam in casibus dubiis eruendam & cognoscendam, ita, ut plura iam colligere superuacaneum arbitremur. WEDELII autem monitum, in *Theoria sua med.* exhibutum, quod, vti vni testi non sit credendum, sic numquam vni soli signo esse fidendum, hic repetere necessarium iudicamus: collectionem itaque omnium signorum eorumque comparationem sedulo & de meliori iam commendamus.

### §. LX.

Dicamus nunc pauca de *prognosi* huius dysenteriae falsae, cuius summa in hoc consistit: quo magis vermes arrodrunt intestina, eo periculosior esse status iudicatur. Pessima itaque hedera est febris inflammatoria intensior, copiosiorque sanguinis per aluum excretio, quippe quae de grauiore & periculoſa aduofione in intestinis peracta testantur §. XLVI, XLVII, quibus nonnumquam perforatis intestinis gangraena & sphacelus succedunt, ita, vt multi hanc incolarum corporis sui nequitiam morte soluere cogantur.

### §. LXI.

Restat, vt *methodum medendi* etiam delibemus; & quoniam vniuersus morbi adparatus a vermisbus instrui-

instruitur, de illorum matura destructione & exterminatione serio est cogitandum.

§. LXII.

A&tum agerem, si medicamenta, vermes necantia expellentiaque, enumerare in animum in lucerem, quippe in tractationibus de vermibus, ab auctoribus diuulgatis adeo inculcata, ut ne lippi quidem & tonsores illa ignorent, quae itaque medicus iudiciorum ad casus speciales facile accommodabit. Id saltem silentio praeterire nolumus, quod iam pridem obseruatum sit ab auctoribus: ferocientes rodentesque lumbricos directa medicina non esse debellandos, sed *eucaugus* hic esse exspectandam abstinentiumque ab antheelminticis positius, donec tranquilli redditur, quem in finem a B. SCHVLTZIO opiate aliqua, ad torporem illis inducendum, praemittenda antheelminticaque subiungenda commendantur. *in differt. de lumbr. effractor.* §. XVI. quae vero, vbi cum fiducia in usum vocari possint, a symptomatum concurrentium conditione est discendum.

§. LXIII.

Ante omnia autem febris concurrentis ratio habetur per medicamenta, indoli eiusdem conuenientia meaque enumeratione notiora, ita quidem, ut diarrhoeae simul succurratur.

§. LXIV.

Adrosis intestinis doloribusque inde ortis, optimè consultur per gelatinosa & mucilaginosa, e foro diaetetico & pharmaceutico deprompta, quae tam per os propinanda, quam in clysteribus, pro re nata, applicanda sunt.

§. LXV.

## §. LXV.

In fine morbi, rebus tranquillis, tonus est roborandus per tonico stomachica, ut ventriculus imprimis intestinaque labefactata vigorem debitamque tensionem recuperent & ulteriori vermium generationi via praeccludatur. §. XVIII. seq.

## §. LXVI.

Posteaquam igitur theoriam methodumque medendi vermium, dysenteriam mentientium, delibauimus, ad alterum Dissertationis nostrae argumentum nunc progredimur quod vermes pariter haemorrhoides mentiri arguit.

## §. LXVII.

Posse enim vermes variis suis symptomatibus haemorrhoides, tam vere fluentes, quam molestissimum non fluentium adparatum spasticum & tenesmodum quadantenus referre & aemulari, nemo, in praxi medica cum attentione versatus, inficiabitur.

## §. LXVIII.

Rarius quidem haemorrhoidum, quam dysenteriae, suspicionem faciunt vermes. Vti enim ordinarie adultiores tantum haemorrhoides experiuntur, iuniores autem potissimum a vermis infestantur, sic etiam haec aetatis & subiectorum consideratio litem plerumque dirimit veramque morbi caussam nobis fistere solet. Quemadmodum autem, experientia teste, haec naturae lex, nec a vermis, nec ab haemorrhoidibus vbiique sancta seruatur, adeo, ut, inverso quasi naturae ordine, incongruam quandoque aetatem obsidere & infestare obseruentur; ita incidunt

dunt nonnumquam casus ambigu & obscuri, vbi vermes, haemorrhoidum titulo in corpore luxuriantes, primo intuitu haud cognoscuntur, neque a veris haemorrhoidibus distinguuntur.

§. LXIX.

Quando autem vermes haemorrhoides *fluentes* mentiri adseueramus §. LXVII, *lumbricos* potissimum intelligimus, quippe a quibus eodem fere modo, quo dysenteriam simulare supra audiuimus, haemorrhoides nonnumquam effinguntur, quare ea, quae §. XLI. de adrosionibus vermium diximus, iam in memoriam reuocamus repetimusque.

§. LXX.

Notandum autem, in his casibus longe minor rem mitioremque ab illis peragi oportere intestinorum vulnerationem, quam quidem supra supposuimus §. XLI. seq. vnde etiam nec febris, nec diarrhoea, nec efferi adeo dolores hic concurrunt; adeo, vt tolerabiliori doloris sensu symptomatumque conditione aliqualis sanguinis portio, ex inflictis a vermis intestinorum vulnusculis in eorum cavitatem deposita & cum faecibus aluinis postea excreta, fluxum sanguinis haemorrhoidalis satis exacte repraesentet, quo etiam tunc quidem dolores spasmique abdominales forte concurrentes referuntur, licet reuera a vermium vellicatione partim, partim a spasmodica intestinorum antipraxia oriantur. §. XLII.

§. LXXI.

Omnium autem accuratissime *motus haemorrhoidales* imitantur eorumque adparatus spastici species referunt ea symptomata, quae ab *ascaridibus* proficiscuntur.

D.

§. LXXII.

## §. LXXII.

Molimina haemorrhoidalia, si ab aliis signis discesseris, maxime sese prodere & manifestare notum est per sensibilem in intestino recto molestiam, pruritum, sphincterisque eiusdem tenesimum. Ascarides autem, idem illud intestinum inhabitantes §. XXXIV. eandem fere ibidem scenam ludere obseruantur. Continuo enim, qui illis familiaris est motu, crebrisque reptationibus irritationibusque molestissimam non modo efficiunt titillationem & pruritum, sed etiam sensibilem huius intestini sphincterem ad spasmoidicos nisus & tenesimum facile disponunt extimulantque. Interim nullus dubito, molestos hosce spasmos non solum a motu & reptatione vermium, sed vel ab ipsa etiam natura, *nam' evanescat* mouente, esse de riuandos: notissimum enim est quod praesentibus ascaridibus, determinato tempore, singulis ordinariis mensibus, hi tenesmoidei motus recurrent & per aliquot dies istos vermes eliminant.

## §. LXXIII.

*Lumbrici* igitur ascaridesque, quorum hi potissimum motus §. LXXI-LXXII. illi autem fluxum haemorrhoidum §. LXIX-LXX. mentiuntur, quo magis in uno eodemque subiecto praesto sunt, eo accuratius haemorrhoides designant eoque facilius improvidis imponunt.

## §. LXXIV.

Catiendum itaque, ne decipiamur in casibus ambiguis; & sedulo danda est opera, ne symptomatum conuenientia & similitudine induciti, id ad haemorrhoides referamus, quod veribus erat tribuendum.

Age-

Agedum faciamus periculum in colligendis potioribus momentis, quae in hac symptomatum ambiguitate censurae instar ac normae sunt, ut dissipatis errorum tenebris, veram morbi caussam inuenire & cognoscere possimus.

§. LXXV.

Ante omnia tam vermium, quam haemorrhoidum signa, quae pathologia nobis tradit, colligenda, perpendenda &c, vti §. LIII. monuimus, inuicem comparanda sunt, quo facto plerumque adparebit, quid de pendente lite sit iudicandum: vtrum symptomata praesentia ab haemorrhoidibus proficiscantur, an potius a vermbus insidiose instruantur.

§. LXXVI.

Non minus subiectorum consideratio utilis est & fructuosa. §. LXVIII. Aetas enim, temperamenti ratio, peculiaris denique & nonnumquam haereditaria ad certos morbos dispositio, quam in nonnullis animaduertere licet, multum profecto valent ad morbos, de quibus queruntur, symptomata, veris ac genuinis caussis tribuenda, adeoque v.g. in hominibus agilioris temperamenti plethoricisque, haemorrhoides, in phlegmaticis autem cachecticisque vermes potius suspicantur.

§. LXXVII.

Porro vrina etiam veram morbi caussam nonnumquam prodit atque ab aliis distinguit, quippe quae in haemorrhoidibus crassa & cum sedimento rosei coloris aut tartareae concretionis excerni solet. Conf. CEL IVNCK. *consp. med. pract. Tab. XI. sign. 6. p. 69.* in statu autem verminoso male digesta turbida & lactescens familiaris obseruatur.

C 2

§. LXXVIII.

## §. LXXVIII.

In haemorrhoidariis denique, quo magis sanguis exitum inuenit, eo tolerabiliora evadunt molesta & dolorifica illorum symptomata. Eae autem sanguinis profusiones, quae a vermium adrosionibus proficiuntur & manant, quo magis succedunt, eo grauiora sequi oportere symptomata, certum est quam quod certissimum. §. LX.

## §. LXXIX.

Quodsi igitur ex his aliisque signis vermes, haemorrhoides mentientes, cognoscuntur iudicanturque, facile simul adparet, quaenam illis competat *prognosis*. Etenim quid de *lumbricis* intestina rodentibus statuendum sit §. LX. iam indicauimus. Quoniam autem perpetrate in intestinis adrosiones in hisce casibus magis existunt superficiales, §. LXX. tanti etiam momenti haud existimantur vacantque a periculis illis symptomatis, quorum supra mentionem fecimus, adeo, ut natura sola medicatrice plerumque reficiantur,

## §. LXXX.

Neque *ascarides* haud multum reformidandos esse nescimus, magis enim molesti, quam periculosi existunt, licet aliquando medicamentis grauiter cedere obseruentur. Conf. Cel. IVNCK. *conf. med. pract.*  
*Tab. de verm. prognos. n. 8.*

## §. LXXXI.

Transeo ad *methodum medendi*, quam paucis potero expedire atque absoluere. Omnis enim rei cardo in eo vertitur, ut vermes, siue sint lumbrici, siue *ascarides*, quantocytus e corpore proscribantur. Manet itaque etiam hic *methodus ordinaria antihelmintica*, fatis

*de vermis dysenter. & haemorrh. mentientibus.* 29

satis nota, vel *ascaridibus* vel *lumbricis* debita cum  
cautione adcommodanda §. LXII.

§. LXXXII.

Exigua intestinorum *vulnuscula* a vermis in-  
flicta, sponte plerumque persanantur, attamen ea,  
quae §. LXIV. commendauimus hunc in finem, non  
prorsus sunt negligenda, praecipue, si dolores vrgeant.

§. LXXXIII.

Morbo superato, tonico stomachicis, ventriculus  
& intestina reficienda sunt atque roboranda, quorum  
satis efficacia e foro tam pharmaceutico quam diaete-  
tico depromuntur.

§. LXXXIV.

Atque haec fere sunt ea, quae de vermis, dys-  
enteriam & haemorrhoides mentientibus, ratio &  
obseruationes practicae nobis suppeditarunt; & quo-  
niam eiusmodi casus obscuri & intricati in praxi haud  
raro offenduntur, digna eadem iudicauimus, quae  
publicae disquisitioni committeremus vltiori-  
busque obseruationibus commendaremus. Vltimo  
loco adhuc monemus, quod dentur nonnumquam  
casus, licet rariores, vbi *vermes*, *haemorrhoides* & *dys-  
enteria*, in uno subiecto eodemque tempore com-  
plicata de prehendantur, in quibus sedulo cauendum,  
ne cum illis, de quibus iam egimus, casibus per-  
mitteantur & confundantur. Quia autem methodo,  
quaque circumspectione eiusmodi complicationes  
duorum triumue morborum tractandas sint,  
a discretiō Medici iudicio dependet.

D 3

VIRO

VIRO  
PRAECLARO ET EGREGIE DOCTO  
DOMINO CANDIDATO  
**IOANNI CHRISTOPHORO**  
**WEINSCHENCK**  
MYLTAM PRECATVR FELICITATEM  
P R A E S E S.

**Q**uem ad modum, Clarissime CANDIDATE, non solum  
viam hostium apertam repellendi, sed etiam insidias  
clanculum ab illis structas detegendi auerzendique  
belli duces curam habere tenentur: sic etiam non modo morbos,  
cognitae nec fucatae in dolore incidentes, verum occultos quoque,  
& aliam speciem simulantes nosse Medicum decet. Ratio-  
nales sane Medicos in hac semper iuisse sententiam, ac  
in larua his morbis deducenda fuisse occupatos, nemo rei  
medicæ gnarus in dubium unquam vocabit. Altos silen-  
tio ut premam, magnum illum Anglorum Medicum Syden-  
hamum, testimonii loco, tantum adducam, qui, malum  
hystericum saepe mentiri calculum, sedulo inculcauit.  
Quanta hypocriti febres malignæ veram suam indolem ce-  
lent, cum res notissima sit, fusi exponere superfluum fo-  
ret. Magno igitur eiusmodi morborum hypocriticorum nu-  
mero existente, & ad istorum curationem vera eorum indo-  
le cognitu necessaria; illorum inuestigatores opera sua non  
abuti possumus affirmare. Cum vero ad rerum abscondita-  
rum multisque attributionibus implicitarum euolutionem  
perspicax oculus requiratur, & iudicium, secundum Hip-  
pocrat.

pocratem, discretuum difficile sit: iis, qui filo ariadnico  
destituti sunt, in hunc labyrinthum sese demittere, non est  
concessum. Haec nunc ut meam cogitarem, disputatio,  
tua, Clarissime CANDIDATE, ansam suppeditauit. Nam  
simulac eius titulum: DE VERMIBVS, HAEMORRHOIDES  
ET DYSENTERIAM mentientibus, legi, nonsolum thema  
placuit, veram etiam TE huic labori rite exantando pa-  
remesse duxi. Rationes enim ex quibus secure hoc conclu-  
dere licebat, pruenter ex statum, quo Deus TE donauit, in-  
genium, habeo sufficienes: etenim in academia nostra inte-  
grum triennium & sex menses artem fideliter didicisti fa-  
lutarem, cursusque studiorum academicorum feliciter peracto,  
Berolinii adsuetas neotericis Medicis vices, non solum subire  
in TE suscepisti, sed etiam cum laude praestitisti. Post ea  
in urbe, quae Serenissimi in Germania principis sedes est,  
per anni & quod excurrerit spatium medicinam fecisti. Qui-  
bus adhuc, coronidis loco, accedit, TE in examine publico  
non mediocris eruditionis signa ostendisse. Ex his spero  
fore, ut non solum morbis vulgaribus, sed etiam intricatis,  
auxiliante Deo, mederi possis. Quem ad modum autem in  
arte nostra, detectis morborum proprietatibus, recta via in-  
cedere debemus: sic etiam quam maxime nos decet, ut  
mente recta & sincera ubique versemur. Eam igitur, tam-  
quam clypeum felicis praeceos firmissimum, ita commenda-  
tam habeamus, ut neque animum ad simulandum neque ad  
dissimulandum unquam fleti permittamus, sed viri boni  
charactere vitam nostram condecoremus. Deus autem,  
omnis salutis fons, pro sua benignitate, conatibus TVIS  
etiam in posterum ita benedicat; ut in supremi  
nominis sui gloriam, proximique commodum, &  
veram felicitatem TVAM cedant.

Eloquar?

**E**loquar? an fileam? Quas dicam carmine laudes?  
Dum TV, NOSTER AMOR, digna bracea capie,  
Ipse TVAE famae praeco, dum pulpita scandis,  
Et vigiles curas ingeniumque probas.  
Scilicet insolitos TVA dat sollertia fructus.  
Praemia sed virtus splendidiora parat.  
Imples inde MATRIS VENERANDAE vota, doceſque,  
TE fecisse TVVM, quod fuit. Euge! bene.  
Vade bonis aubus! Numen TVA coepta secundet!  
Esto decus Patriae! Viue vigeque! Vale!

*Haec qualiaunque in Praenobilissimi Domini  
Doctorandi, amici dilecti, memoriā,  
riam, non fucato animo adponere voluit.*

**LEOPOLDVS LVDOVICVS CLAEPIVS**  
I. V. Lic. & Advocat. Regim. Cotheniensis.



2a 4713

ULB Halle  
003 901 068

3



80





16

DISSERTATIO INAGVRALIS MEDICA  
DE  
**VERMIBVS DYSENTERIAM  
ET HAEMORRHOIDES  
MENTIENTIBVS**

QVAM  
AVSPICE DEO PROPITIO ATQVE ILLVSTRIS ORDINIS  
MEDICI AVCTORITATE ET CONSENSV  
MODERATORE  
VIRO ILLUSTRI EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO  
**DN. JOANNE JVNCKERO**  
MEDICINAE DOCTORE EIVSDEMQUE PROFESSORE  
PVBL. ORD. ORPHANOTROPH. HALENSIS ET PAEDA-  
GOGII REGII PRACTICO DEXTRRIMO  
PATRONO AC PRAECEPTORE SVO AETATEM  
DEVENERANDO  
PRO GRADV DOCTORIS  
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS  
RITE CAPESSENDIS  
AD D. SEPT. A. S. R. MDCCXLVII.  
H. L. Q. C.  
PVBLICO ATQVE AEQVO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT  
AVCTOR  
**IOANNES CHRISTOPHORVS VVEINSCHENK**  
MAGDEBURGICVS.

HALAE MAGDEBURGICAE,  
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGER ACAD. TYPOGR.